

postquam introgressi et coram data copia fandi,  
 munera praeferimus, nomen patriamque docemus,  
 qui bellum intulerint, quae causa attraxerit Arpos. 250  
 auditis ille haec placido sic reddidit ore:  
 "o fortunatae gentes, Saturnia regna,  
 antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos  
 sollicitat suadetque ignota lacessere bella?  
 quicumque Iliacos ferro violavimus agros — 255  
 mitto ea, quae muris bellando exhausta sub altis,  
 quos Simois premat ille viros — infanda per orbem  
 supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,  
 vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervae  
 sidus et Euboicae cautes ultorque Caphereus. 260  
 militia ex illa diversum ad litus abacti  
 Atrides Protei Menelaus ad usque columnas  
 exsulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes.  
 regna Neoptolemi referam versosque penates  
 Idomenei, Libycone habitantis litore Locros? 265  
 ipse Mycenaesus magnorum ductor Achivom  
 coniugis infandae prima intra limina dextra  
 oppetiit, devictam Asiam subsedit adulter.  
 invidisse deos, patriis ut redditus aris  
 coniugium optatum et pulchram Calydonia viderem? 270  
 nunc etiam horribili visu portenta secuntur,  
 et socii amissi petierunt aethera pennis  
 fluminibusque vagantur aves — heu dira meorum  
 supplicia! — et scopulos lacrimosis vocibus implent.  
 haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt 275  
 tempore, cum ferro caelestia corpora demens  
 adpetii et Veneris violavi volnere dextram.  
 ne vero, ne me ad talis inpellite pugnas:  
 nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum  
 Pergama, nec veterum memini laetorve malorum. 280  
 munera, quae patriis ad me portatis ab oris,  
 vertite ad Aenean. stetimus tela aspera contra  
 contulimusque manus: experto credite, quantus  
 in clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.